

ergo nec natura potest hoc facere: maior patet: quia intellectus est virtus, magis sequestratiua, quam natura: minor patet ex dictis: ergo, &c.

Tertio, quia si relatio realis posset esse sine termino reali in re, tunc non esset relatio realis: quia talis est esse essentialiter habitudo vnus ad aliud.

Ad primū.

Ad argumenta: ad primum dicendum, quod quando scibile non est in actu, scientia refertur ad illud relatione rationis: & sic habet tunc terminum rationis.

Ad secundum.

Ad secundum dico: quod supremum genus relationis (& idem de quavis alia ratione siue generica, siue specifica relationis) habet terminum sibi adæquatam ad quem immediatè refertur; vt docet Doctor supra quæst. 1. ad tertiam rationem principalem: sicut enim ab omnibus fundamentis, prout in vnitatem proportionis conueniunt, abstrahitur fundamentum, seu relatiuū supremum, quod à supremo relationis realiter denominatur: sic ab omnibus terminis; prout eandem terminandi vnitatem proportionis habent; abstrahitur terminus in communi, qui supremum relationis terminat adæquatè ac immediate.

Ad tertium.

Ad tertium dico: quod aliud est esse productiuum, aliud esse produciens: nam hoc est relatiuum in actu; & illud in potentia: quare productiuum solum relatione rationis ad producibile refertur.

Ad quartū.

Ad illud de materia prima, & ad quartum quod illæ relationes sunt transcendentales, & habent suos terminos: si sit relatio actualis; habet terminum actualem: etsi aptitudinalis, aptitudinalem.

Ad quintū.

Ad quintum dico: quod effectus, & causa referuntur eo modo, quo habent esse. Vnde, cum finis, quando mouet, habeat esse in apprehensione: idè tantum interuenit ibi relatio rationis: cum extrema non sint in actu: relatio, in quam, rationis large dicitur de qua vide Leuchetū quodlib. 13. fol. 60.

Ad confirmatōem.

Ad confirmationem respondeo: quod tales actus, si sint abstractiui, referuntur relatione rationis, & habet terminum actualem rationis: vt docet Doct. quodlib. 13. si sint intuitiui referuntur relatione reali ad terminum actu existentem: vt docet Doct. ibidem. Ad illud de motu dico: quod relatio illa non est prædicamentalis; sed datur, quod sit adhuc stat assertum: nam illa fundatur in motu priori, & terminatur ad motum posteriorem, prout mutato esse copulantur: & idè actu existere dicuntur.

ARTIC. II.

An terminus sit de quidditate relationis?

1. Argum.

Q UOD sic videtur primò, terminus ponitur in diffinitione relationis: ergo est de eius quidditate. Secundo sic: essentialior est comparatio relationis ad suum terminum, quam ad

suum fundamentum, patet: quia potest intelligi sine fundamento; sed non sine termino: sed relatio aspicit fundamentum in secundo modo: ergo terminum in primo: atque adeo est de eius quidditate.

2. Argum.

Tertio, essentialior est habitudo ad terminum, quam ad suum superius: sed includit superius in primo modo: ergo & terminum: assumptum patet: quia potest intelligi sine suo superiori, sed non sine termino.

Conclus.

Dicendum: terminus non est pars essentialis, aut quidditatiua relationis. Hæc est Doct. in præsentī in solutione ad secundum, & Francisci de Maironis in primo dist. 29. quæstione 5. Bargij dist. 28. quæst. 3. & probatur primò, terminus est extrinsecus relationi: ergo non est de eius quidditate.

Secundo, Relatio, & terminus sunt opposita: sed vnum oppositum non est de quidditate alterius: ergo.

Tertio: quia tunc creatio passiuæ esset perfectior creatione actiuæ: patet, quia creatio passiuæ includeret Deum, qui est eius terminus; & actiuæ includeret pro termino creaturam: ergo si terminus est de essentia relationis creatio passiuæ est perfectior creatione actiuæ.

Quarto, omne, quod est de quidditate vnus est formaliter in eo: sed terminus non est formaliter in relatione: ergo.

Quinto, terminus non est genus, aut differentia relationis: ergo non est de eius quidditate.

Ad primū.

Ad primum dico: quod terminus ponitur in diffinitione relationis; vt additum: sed ex hoc non dicitur esse absolute de eius essentia: dupliciter namque dicitur vnum esse de essentia alterius: vel pro eo, sine quo res intelligi non potest: vel quod sit pars essentialis: primo modo terminus dicitur per additum de essentia relationis: sed non secundo modo, vt conclusio procedit.

Ad secundum.

Ad secundum, iam supra respōsum est: nam licet vna habitudo sit relationi altera essentialior: terminus tamen, nec fundamentum sunt de illius habitudinis essentia.

Ad tertium.

Ad tertium nego maiorem: ad probationem dico, relationem non posse distinctè cognosci sine suo superiori: vel dic: illas duas habitudines esse diuersæ rationis: & idè non comparantur, &c.

ARTIC. III.

An terminus terminet relationem sub ratione absoluti, an relatiui?

I N termino cuiuslibet relationis duplex ratio reperitur: altera, quæ extrinsecè ipsam denominat terminum: sicut paries dicitur visus: altera vero, quæ est ratio formalis positiua, per quam ipsi terminare conuenit: vnde hic non querimus de priori ratione; cum nihil reale sit in ipso termino; sed in relatiuo ad ipsum terminato; sed inquirimus de secunda ratione, quæ

quæ ratio proxima terminandi dicitur: & cum talis sit aliquid absolutum, vel respectiuum necessario: idè merito dubitatur: an terminus terminet formaliter relationem sub ratione absoluti, vel respectiui: & hoc loquendo de relatione creata huius prædicamenti.

1. Sentent.

Prima in hac re sententia affirmat omnes relationes terminari ad aliud sub ratione relatiui realis, vel rationis: ita Caietan. prima parte quæstione 13. art. 7. Zumel ibidem, Deza in primo distinct. 31. quæst. 1. Suesanus quinto Metaphysic. quæst. 14. cap. 4. & Fonseca ibidem cap. 5. Et quæ communis apud neotericos Thomistas, quam probant.

1. Argum.

Primo, ex Philosopho diffiniēte relatiua per hoc, quod totum eorum esse est ad aliud se habere: vbi per ly, aliud, intelligit terminum, & perfectius intelligit relatiuum: ergo terminus sub ratione relatiui relationem terminat: antecedens patet in exemplis suis: ait enim, sicut totum suum esse serui est ad dominum: ita totum suum esse domini est ad seruum: aliter enim falsum esset Axioma illud, relatiua dici ad conuertentiam: & mutuo se ponunt; & destrunt: ergo.

Confirm.

Confirmatur: nā textus expresse dicit: quod dominus non dicitur ad seruum, & è contra, nisi sub ratione domini, seu serui: ergo non sub ratione absoluti, sed relatiui terminat.

2. Argum.

Secundo, si paternitas Petri non terminatur ad Paulum filium, vt filius est; sequeretur, quod Paulus prius natura sit Paulus, quam filius: cum substantia sit prior natura omni accidenti: & per consequens Petrus prius natura esset pater per paternitatem, quam habeat filium: quod est absurdum: ergo.

3. Argum.

Tertio, ille est terminus relationis, in ordinè ad quem diffinitur alterum relatiuum; & à quo pariter dependet: sed relatiuum diffinitur per correlatiuum formaliter sumptum; & ab eo, vt sic, dependet: ergo ad relatiuum, sub ratione relatiui terminatur: maior patet: nam pater est habens filium; & filius est habens patrem: ergo, &c.

4. Argum.

Quarto, arguit Rubius in hoc cap. quæst. 7. de relatiuis mutuis: nam de non mutuis nobiscum cum alijs Thomistis sentit: oppositio relatiua reperitur inter relatiua: vt relatiua sunt formaliter: ergo mutua relatio includit essentialiter mutua oppositionem relatiuam: sed mutua oppositio relatiua essentialiter includit vtranquè rationem referendi, & terminandi: ergo vtrumquè officium exercent relatiua per relationes: & non per fundamenta absoluta. Omnia (inquit) constant euidenter, præter minorem, quam non minus euidenter probat: mutua oppositio consistit in hoc, quod relatiua mutuo se respiciant; & relationes sint rationes mutuo se respiciendi: sed mutuo se respicere est, quodlibet respicere aliud; & ab eo respici: & hoc est terminare relationem eius: ergo euidenter est, quod in mutua oppositioe includatur essentialiter vtrumquè officium referendi, & terminandi: & ex consequenti, quod relatiua vtrumquè exercent per relationes; & non per fundamenta:

quia per relationes, & non per fundamenta, oppositionem habent.

5. Argum.

Quinto, in relatiuis primi, & secundi modi eadem est ratio fundandi in vtroque extremo: ergo & terminandi; sed talis non potest esse nisi ipsa relatio, sicut de relationibus diuini dicimus: ergo, &c.

6. Argum.

Sexto, si terminus, ad quem relatiuum formaliter refertur, est quid absolutum: ergo correlatiuum non est terminus formalis, tanquam id, ad quod refertur: atque adeo cum seruus referatur ad dominum; vt dominus est; dominus non esset formalis terminus serui, sed materialis, quod videtur falsum.

7. Argum.

Septimo, nam ex contraria sententia sequitur, Tum, Deum cadere sub ratione absoluta in diffinitione creaturæ: & tunc aliqua creatura naturaliter cognoscibilis remaneret naturaliter in cognoscibilis: vt patet de creatione passiuæ, & de relatione vniuersi ad Deum vltimum finem. Tum etiam, quod correlatiuum non necessario deberet esse in eodem genere cum eo, cuius est relatio: nam absolutum non est in genere relationis.

2. Sentent. Doctoris.

Secunda sententia asserit omnem relationem creatam, siue mutua, siue non mutua ad absolutum sui termini terminari: ita Doctor in primo dist. 26. quæst. 1. & dist. 30. quæst. 2. S. respondeo igitur ad primam quæstionem: idè omnes eius discipuli, quos sequuntur aliqui Thomista, quos citant Valera art. 3. quæst. 1. & Barnabas Gallego controuersi. 29.

1. Notand.

Pro cuius intelligentia notandum primo: quod in relatiuo, aliud est absolutum tantum: aliud relatio tantum, aliud relatio & absolutum simul: hoc vltimum dicitur relatiuum, & est id, quod refertur: relatio est ratio referendi, absolutum vero est ratio fundandi relationem; seu ipsum fundamentum: & idem in termino correlatiuo est philosophandum: aliud est enim esse terminum tantum: aliud esse correlatiuum tantum, aliud esse terminum correlatiuum simul. Terminus tantum dicit solum absolutum sub ratione proxima absoluta terminandi: vt correlatiuum tantum solum habet referri ad suum correlatiuum: & hoc accidit sibi; prout terminus est: vt autem est terminus, & correlatiuum simul, tunc & terminat; & refertur, sed terminare habet à ratione absoluta: referri vero à relatione. Et quod de termino absoluto diximus: idem de relatione suo modo, quando alteram fundat, seu terminat est dicendum.

2. Notand.

Secundo notandum: quod illa diuisio in relationem inferi, & in facto esse, de qua supra, tantum in secundo modo huius prædicamenti reperitur: inter quas sunt discrimina nonnulla: primū quod omnis relatio inferi est prior termino prioritate originis; cum sit via, & tendentia ad illum: at relatio in facto esse est posterior termino: nā postro fundamento, & termino, causatur. Secundum: relatio inferi est ratio producendi terminum: sed relatio in facto esse nequaquam. Tertium, relatio inferi non præsupponit absolutum sui termini, vt diffiniatur: sed diffinitur per hoc; quod sit via, & tendentia ad illum, vt habet esse per

per illam; & ut sic dicuntur simul natura, & intelligentia: productio enim in aeri est simul natura, & intelligentia, cum productio in fieri: & si diffinitur: nihil est aliud, quam via, & tendentia, qua producens productum producit: non quod productum præsupponat, sed est ratio, qua ipsum producit: & tamen ratio in facto esse præsupponit absolutum sui termini, ut per illud diffiniatur.

2. Conclus.

Dicendum primò. Productio, inductio, & educio: sunt relationes in fieri huius prædicamenti: & terminantur ad absolutum in fieri: hæc, quoad primam partem statuo contra Leuchetum in primo dist. 2. quæstione septima folio 54. columna quarta in fine, asserentem, productionem in nobis, si sumatur pro respectu consequente fundamentum, & terminum: esse relationem, & esse formaliter in producere: si vero sumatur, ut prior productio, & non pro tali respectu, esse nihil in se formaliter: nihilque ponere formaliter in producente: contra quæ sic argumentor.

Primo ex Doct. in quarto distinct. 13. quæst. prima ad primum & tertium argumentum, ubi aperte hanc propositionem faterur: Relatione aliquid producitur: sed non producitur productione in facto esse: quia talis resultat, termino iam producto: ergo producitur productione in fieri: ergo talis productio est aliqua entitas realis: non absoluta, cum sit tendentia ad aliud: ergo relatiua.

Secundò, omnis ratio fundandi relationem secundi modi est aliquid reale: sed productio in illo priori est ratio fundandi relationem, quæ confurgit inter producens, & productum: ergo est aliquid reale. Maior ab omnibus conceditur, maxime a Doct. super quinto Metaph. text. 20. minor certissima est: nam actio est ratio fundandi, ut vidimus: ergo.

Tertio, omnis terminus realis supponit actionem realem: sed intellectio, & volitio sunt termini reales producti per actiones intellectus & voluntatis, quæ præintelliguntur ipsis terminis productis: ergo tales actiones in illo priori sunt aliquid reale. Maior est certa: minor est Doct. in 1. dist. 27. ad tertium primæ quæstionis: consequentia est legitima: ergo, &c.

Quarto, ad hominem: nam ipse in 2. dist. 1. quæst. 2. prope finem, concedit: quod omne agens agit actione fundamentali, & non formali. Tunc sic: vel illa actio fundamentaliter sumpta est ipsa quidditas absoluta agentis: aut aliquid superadditum: si primum: ergo idem est dicere, quod agens sua propria quidditate agit, & ita agens semper agit: quia quidditas eius semper est actus, & ultra: quia tunc causalitas causæ efficientis nihil esset distinctum ab eius quidditate contra communem sententiam Doctorum. Si secundum: habemus intentum: & tunc sic conclusionem confirmo.

Quinto, productio est aliquid additum quidditati producentis: ergo, cum sit accidens erit vel absolutum, vel respectuum: si absolutum, vel est quantitas, vel qualitas: quod nullus concedet, si respectuum: aut erit intrinsecus, aut extrinsecus adueniens, non primò: quia actio, quæ quintum prædicamentum ordinat, sumitur per ordi-

nem ad subiectum: & non per ordinem ad terminum: ergo necessario erit ratio realis huius generis, non in facto esse, ut constat: ergo in fieri.

Sed obijcit Leuchetus ex Doct. in primo distinct. 35. & in secundo dist. 1. quæstione secunda. Ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu: ergo inter causam, & causatum nihil reale mediat: atque adeò conclusio tradita contra Doct. militare videtur.

Respondeo, quod Doctor non negat inter causam, & effectum, mediare actionem productiuam: sed tantum vult, quod ad absolutum in causis: ad quidditatem, & entitatem absolutam causæ, statim, absque aliquo addito, siue absoluto, siue respectiuo, antecedente ad causalitatem, seu actionem causatiuam, & determinante ipsam causam ad causandum; sequitur absolutum in effectu: id est, causatur entitas absoluta effectus. Quod autem hoc sit Doctoris intentum, patet ex verbis eius: ait enim in secundo ut supra lit. E. fallit autem imaginatio, quod semper videtur; quod causa sit indeterminata usque ad illud instans quando causat: & tunc quod aliqua relatio determinans ipsam ad effectum primo requiritur à parte eius: quod falsum est, illud enim idem absolutum, quod in causa præcessit, tam natura, quam duratione, ipsum effectum productum, vel causatum, est etiam in ea in illo instanti prius naturaliter, quam causet: & secundum illud absolutum, secundum quod prius fuit causatiuum, est nunc causans; non secundum aliquod additum, nec absolutum, nec respectiuum. Hæc Doctor. Ex qua littera satis apparet, quod nihil additur entitati absolutæ causæ, per quod determinetur ad actualem causationem: non tamen negat, causam per actualem causationem causare: imò hoc aperte faterur, quæ quidem actualis causatio est vera entitas, & actio productiua, medians inter absolutum causæ, & absolutum effectus.

Secunda pars constat nam omnis via terminatur ad suum terminum, qui per ipsam acquiritur: sed omnis relatio in fieri est via ad terminum, qui per ipsam habet esse: qui quidem non habet esse sub ratione relatiua: sed absoluta: ergo terminatur ad illum sub ratione absolutâ non in facto esse: ergo prout ab illa in fieri dependet. Et in hoc sensu sunt simul natura: ut insinuat Trombeta 2. Metaph. q. 5. s. his præmissis: prope finem.

Dicendum secundò, Omnis relatio realis creata, quæcunq; sit, non terminatur ad terminum sub ratione relatiua: sed absoluta: & idem suo modo de relationibus rationis asseratur. Probatur primo, omnis diffinitio est prior suo diffinito, sed relatio diffinitur per terminum: ergo terminus est prior relatione: sed relatio, opposita est simul eadem relatione: ergo non potest esse ratio, diffinitendi ipsam: quia esse simul natura, & non esse simul natura sunt incompossibilia, nec potest dari circulus in diffinitione, & diffinito.

Huic argumento respondet Caser, quod illud, quod in diffinitione ponitur, non est prius, nisi inter illa, quæ ordinem habent: sed relatiua sunt simul natura: ac per consequens non habent ordinem: propter quod relatiuum non dicitur diffiniri per alterum, sed ad alterum.

Concl.

Contra: si relatiuum non diffinitur per alterum, sed ad alterum: ergo supponit illud, ad alterum: sed non supponit illud sub ratione relatiua: nam, ut sic, sunt simul natura: ergo sub ratione absoluti.

Secundo probatur conclusio: in essentialiter ordinatis non potest esse circulario: omne autem diffinitum notificatur per diffinitionem: ergo si relatio esset terminus, tunc esset prior: & notior relatio sibi opposita, quæ est eius diffinitio: & cum illa relatio, quæ est terminus, etiam diffiniatur per correlationem suam: tunc illa correlatio esset prior: & ita esset circulario.

Huic argumento respondent nonnulli, quod in relatiuis vnũ mutuo ab alio dependet dependentia relatiua: & sic nullus est inconueniens, inquit Cate. circulus in relatiuis concedere; quia relatiua potius condiffiniuntur, quã vnũ per alterum diffiniatur: & hæc est solutio Doct. in presenti ad primũ principale, & super vniuers. q. 1. de genere ad quintum ubi ex communi via eandem adhibet solutionem.

Sed contra: omnis relatio pendet à termino, & fundamento: ergo paternitas increatis pendet à potentia generatiua, & à filio. Tunc sic, vel pendet à filio secundum rationem relatiua, vel absolute: si hoc secundum habemus intentum, si primum: ergo prius intelligenda est ratio relatiua filij, quam paternitas: pater consequentia, ab illa ratione relatiua filij pendet, per vos, paternitas, tanquam à termino: ergo supponit illam rationem relatiua filij: ergo prius intelligitur filius in esse filij, quam intelligatur pater in esse patris. Tunc sic: filius, ut filius, & quatenus terminat paternitatem, est relatiuum: ergo, cum, ut sic, respiciat patrem, erit prior paternitate: ac per consequens pater terminabit illum respectum secundum rationem absolutam: quia paternitas in illo priori non intelligitur in patre.

Confirmatur: quando pater generat filium in humanis: illud absolutum, quod est in filio, terminat actionem generatiua patris: ergo & relationem paternitatis terminabit: pater consequentia: illud absolutum habet esse à patre generante: ergo sicut terminat eius actionem, quæ est relatio in fieri, quare paternitatem, quæ est relatio in facto esse non terminabit.

Tertio, principaliter arguitur: omnis habitu do inter extrema præsupponit ipsa extrema: sed omnis relatio est habitu do inter fundamentum, & terminum: ergo præsupponit terminum, sed non præsupponit relationem sibi oppositam: cum sint simul natura: ergo terminus præsuppositus non est relatio: ergo est absolutum.

Confirmatur: effectus prima causæ dicit relationem realem ad ipsam, sed talis relatio non terminatur ad relationem realem in prima causa: quia talis non est ex tempore in Deo: ergo terminatur ad absolutum.

Huic confirmationi, seu potius rationi principali: respondent aliqui dicentes: Deum terminare relationem creaturæ, & quæcunq; aliam dominij, aut seruitutis secundum rationem absolutam fundamentaliter: formaliter vero eas terminat, quatenus denominatur creator, & dominus, à re-

latione reali realiter in creatura existente: nam licet tales relationes dominij, & creationis sint formaliter in Deo: entia rationis: tamen ut sunt in creatura, & denominant ipsum Deum, sunt aliquid ad prædicamentum pertinentis: & Deus ab illis denominatus, est illarum terminus: ut enim ait Caser: relatio creaturæ est intrinseca creaturæ, & simul extrinseca Deum denominat, & ut extrinseca de nominans est terminus sui, ut intrinseca ordinat creaturam ad ipsum Deum: & ideo omni operatione intellectus cessante, Deus refertur: & terminat per talem relationem.

Sed contra: Deus, seclula omni operatione intellectus, terminat relationem creaturæ: sed si nec tali operatione, non est relatio creatoris in Deo: ergo Deus non secundum rationem relatiua, sed absolute terminat realiter relationes illas.

Respondent aliqui, quod sunt aliqua entia rationis, quæ extra intellectum habent fundamentum remotum, & proximum, ut priuationes, & relationes, quæ ex tempore Deo conueniunt: & quævis formaliter, & complete non sunt entia rationis, sufficiente, ut secundum tale fundamentum proximum dicantur entia rationis in potentia proxima: sicut de vniuersali Metaphysico dicitur in propositione: nam relatio illa dominij est in potentia proxima: ens rationis appelletur.

Sed contra: in isto primo, vel relatio dominij, secundum talem potentiam proximam, est aliquid in Deo à parte rei distinctum ab absolute, vel non: si hoc secundum: ergo Deus terminat sub ratione absolute: si primum: ergo Deus mutatur in creatione creaturarum: pater consequentia: nam aliter se habet nunc, quam prius per aliquid reale sibi realiter adueniens de nouo.

Secundò in isto: illæ relationes habent esse distinctum à fundamento, & ab absolute: ergo sunt aliquid ergo aliquid ponunt in Deo realiter ex tempore: ergo mutatur.

Tertio obijcit: ille relationes habet esse, prius quã intellectus cõparet Deum ad creaturam, sed illud esse non est in creatura: ergo in Deo: ergo est Deus: ergo ab æterno: sed illud, quod est in Deo ab æterno in ordine ad creaturas est absolutum: ergo Deus sub ratione absolute terminat relationem creaturæ.

Nec exemplum de vniuersalitate metaphysica, & de priuatione aliquid prodest: nam vniuersalitas metaphysica, ut est cognita, est ens rationis large habens esse per intellectum, quod esse non habent illæ relationes, secundum istos: priuatio etiam à parte rei non est ens rationis, ut pater: quare exemplum oppositum probat.

Quarto principaliter arguitur, omne relatiuum ratione fundamenti, terminat relationem alterius, & non ratione relationis: ergo ratione absolute: probo antecedens: duæ rationes formales oppositæ non possunt eidem sub eadem ratione conuenire: sed esse terminum, & referri: sunt duæ rationes oppositæ: ergo nequeunt eidem sub eadem ratione conuenire: sed relatiuum sub ratione relationis refertur: ergo sub ratione fundamenti terminat.

Quinto, accidit termino relationis realis: quod sit relatiuum: ergo relatio non terminatur

Ec

ad terminum sub ratione relatiua, antecedens patet; nam aliter terminus relationum tertij modi realiter referretur: quod falsum esse prospeximus.

Sexto, si relatio terminatur ad relationem: ergo in beatissima Virgine non est relatio realis maternitatis: Patet consequentia: quia secundum Dium Thomam, in Christo Domino non est relatio filiationis ad beatam Virginem.

Respondet Rubius dicens: quod terminare stat dupliciter: fundametaliter, seu materialiter: & formaliter, & Christus terminat materialiter, non vero formaliter: quare relatio maternitatis ibi est non mutua, seu est mutua imperfecta.

Sed hæc solutio innanis, & voluntaria est: innanis, quia percontor, an Christus terminando materialiter terminet sub ratione absoluta, aut respectiua: non hoc secundum, cum ibi non detur relatio: ergo primum, sed illa ratio terminandi est communis in omnibus filiis generis: ergo omnes sub ratione absoluta terminant. Est etiam voluntaria: nam appellare relationem maternitatis in Virgine non mutua est voluntarie dictum, terminis abuti, & peripateticis contraire.

Septimo, ad principale: ad id terminatur relatiuum, quod primo, & per se respicit: sed non respicit terminum, vt relatiuum: ergo vt absolutum: probatur minor: nam pater non respicit filiationem, sed fundamentum, quod genuit: ergo.

Confirmatur: quia si quæras, cur magis Petrus referatur ad Paulum, quam ad Ioannem; respondebitur: quia Paulus est genitus a Petro, & non Ioannes, sed esse genitum est fundamentum, & absolutum: ergo illud absolutum per se primo respicit pater.

Ad primū.

Ad argumenta in oppositum respondetur: ad primum, quod per ly, ad aliud in diffinitione relatiuorum positū intelligitur terminus formaliter, sed non intelligitur, vt terminet quatenus relatiuum est: aliter prædicta diffinitio relatiuis tertij modi non conueniret. Et per hoc ad confirmationem: relatio enim dominij, & creaturæ ad absolutum in Deo terminatur: quomodo autē dicantur tunc relatiua dici ad conuertentia, & esse simul natura iam quæst. præcedente art. 3. diximus: verum est enim de relatiuis, prout sub relationibus sumuntur: vide ibi.

Ad confirmatōem.

Ad secundum.

Ad secundum distingo sequellam: Petrus prius natura est pater, quam habeat filij, vt correlatiuum sui: concedo: tanquam terminum, nego sequellam: nam esse genitum est simul natura cum patre.

Ad tertium.

Ad tertium nego minorem: nam relatiuum diffinitur per terminum, non sub ratione relatiua; sed absoluta: accidit enim termino ratio relatiui.

Ad quartum.

Ad quartum concedo rotum entymema: & distingo minorem: si relatiua oppositio sumatur à termino correlatiuo simul: concedo, si sumatur à ratione tantum opponendi: nego minorem: nam hoc secundum sumitur tantum a relatione, quæ est causa formalis oppositionis relatiuæ: primū vero sumitur ab absoluto, & respectiua: ab absoluto, vt est ratio terminandi: & à respectu, vt est ratio referendi: ex qua duplici ratione, absoluta,

& respectiua, constituitur vnum oppositum relatiuum.

Ad quintū nego minorem, nec exemplū de relationibus diuinis est ad rem: tum quia conclusio loquitur de relationibus creatis: tum etiam, quia sunt suppositorum constitutiua; & idem sunt rationes terminandi, scilicet relationes creatæ.

Ad sextum dico, quod licet terminus in ratione correlatiui non sit quid absolutum tantum: bene tamen in ratione termini, & sub hac ratione seruus, & quicumque alius terminus relationem terminat.

Ad septimū concedo primam sequellam: & nego talem relationem esse incognoscibile: nam absolutum terminas cognoscitur cognitione confusa, & communi. Ad aliam sequellam dico: absolutum terminans poni denominatiue in genere suæ relationis, à qua denominatur, in quantum scilicet est relatiuum: non vero in quantum est terminus relationis.

ARTIC. III.

An generalissimum relationis, & quælibet alia relatio inferior habeat terminum adæquatum, & immediatum?

Relationem quamlibet habere suum terminum farentur Doct. omnes, sed an generalissimum habeat terminum immediatum, & adæquatum, sibi correspondentem, & idem de alijs relationibus inferioribus, non omnes conueniunt: quare est prima sententia aliquorum afferentium generalissimū hoc nullum habere terminū adæquatum commune, nec explicite, nec implicite, nec in actu signato, nec exercito; sed sicut non refertur immediate, & per se ad terminum, sed mediate, & per suam inferioritatem in illis dumtaxat habet terminum.

Probatur primò, ex Augusti in prædicamentis cap. 11. vbi sic ait: Vt hæc categoria manifestius deducatur, hæc via est: quod debemus aduertere, non recte dici ad aliquid, nisi cum singulare ad singulare refertur. Et Arist. 4. Topic. cap. 4. loco 50. sic ait: Rursus non ad idem dicitur genus, & secundum se, & secundum speciem: id est, genus, & species relatiuorum eundem terminum habere.

Secundò probatur ratione, licet relatio abstractissime sumpta per esse ad aliud diffiniatur, non exercet habitudinē illam in tota illa communitate, nisi in determinatis relationibus: ipsa enim ex se tantum designat id, quod est ad aliud: ergo relatio in communi non habet terminū adæquatum, & immediatū nec in actu signato, nec exercito: antecedens probat ex Doct. in 1. dist. 27. q. vnica ad tertij argumentū, vbi sic dicit: similitudo bene est ratio alicui referendi, vel terminandi relationem: sed nec refertur, nec terminat, nisi accipiat pro distincto, in quo sit id est, pro singulari: ergo si secundum Doctorem relatio æquiparantia non habet terminum immediatū sibi correspondentem; multo minus illum habebit generalissimum in communi.

Ad quintū

Ad sextum

Ad septimū

1. Sentent.

1. Argum.

2. Argum.

Secundum

2. Sentent.

Secunda sententia est aliorum afferentium relationem in communi habere terminum communem adæquatum, ac immediatum, tam in actu exercito, quam signato: & quia hanc sententiam ex Doctoris mente defendere intendimus: pro illius intelligentia notandum primò. Relationem in abstracto; quatenus generalissimū est, habere sub se genera, species, & indiuidua. Vnde possunt omnes tales relationes communes considerari, vel prout abstrahunt ab existentis suis, siue singularibus, siue cõmunibus, & solum in esse essentiali præcise concipiuntur, vel possunt considerari sub talibus existentis: primo modo dicuntur habere esse cognitū, & signatū: secundo autē modo esse reale, & exercitū: nam gradus istius accidentis relatiui habet verum esse reale in suis indiuiduis ab ipsis ex natura rei distinctū. Quare cū relatio sit habitudo fundamenti ad terminum, pariformiter ea in actu signato, & in actu exercito requirit fundamentum in actu signato est ratio omnium fundamentorū, quatenus per modum vnus vnitate proportionis, sine existentis, considerantur: & in actu exercito, quando cum suis existentis concipiuntur: & idem de termino Philosophandum est.

1. Notand.

2. Notand.

Secundò notandū: coordinationē huius categoriæ sic in notescere posse: Relatio alia mutua, alia non mutua: non mutua est, quæ ex parte vnus tantum extremi habet referri ad aliud, sed non aliud ad illud: & hæc constituit tertij genus relationū in mentura & mensurabili fundatum; quod, vt vidimus, multas sub se habet species. Relatio mutua est, cuius extrema mutuo realiter referuntur: & hæc in primo & secundo modo reperitur, quæ rursus subdiuidi potest: nā relatio primi generis alia fundatur in vnitate, alia in diuersitate: quæ adhuc partiri potest iuxta varios unitatis, seu multitudinis modos. Relatio secundi generis, quæ diuisiua dicitur, sicut relatio primi modi dicitur æquiparantia, diuiditur in actiuam, & passiuam, quantum quæuis iuxta varios modos causæ, & potentia sub diuiditur, sub quibus relatio suppositionis, & superpositionis continetur. Relatio suppositionis est, cuius fundamentū inferioritatem habet dominij, & potestatis respectu fundamenti sui correlatiui: Relatio superpositionis est, cuius fundamentum superioritatem, & dominium habet: respectu fundamenti sui correlatiui: vt relatio patris ad filium. Et has duas relationes vocat Damascenus in sua Logica cap. 50. præcæntia, & inferioritatis, ex quibus constat, fundamentum, quod à relatione in communi denominatur, & relatiuum generalissimum dicitur: & terminum, ad quem terminatur, abstrahere à fundamentis, & terminis istarum relationum inferiorum.

3. Notand.

1. Conclus.

Tertio notandum aliud esse loqui de termino, vt præcise habet rationem terminandi: aliud, prout etiam habet rationem correlatiui: nam iuxta hanc duplicem considerationem aperienda est veritas.

Dicendum primò. Relatiuum in communi, vt est huius prædicamenti supremum genus, nõ habet immediate terminum adæquatum, qui sit illius correlatiuum; sed mediate in suis inferioribus: & idem de relatiuis æquiparantia dicens: dum est: scilicet de relatiuis diuisiua dicitur. Hæc quoad primam partem est Doct. q. 1. huius cap. ad tertium principale: & probatur: quia relatiuum vt sic, abstrahit ab omnibus relatiuis; & rationes omnium in se continet per modum vnus: ergo nequit habere oppositum correlatiuum à se distinctum sibi adæquatum: cum abstrahat ab omni ratione opposita relationis: ergo hoc non est de essentia illius, vt sic concepti: quia alia est de essentia cuiuslibet relatiui inferioris: cū tamē non sit: vt patet in nõ mutuis, & in relatiuis æquiparantia: vt dicemus: ergo id tantum habet in aliquibus inferioribus mediate. Vnde ly, aliud, in diffinitione relatiuorum non sumitur pro termino, vt correlatiuo, cum non sit ei essentialē illud habere.

Secunda pars patet: quia relatio æquiparantia in specie concepta abstrahit ab omni ratione opposita: vnde continet in se relationes vtriusque extremi secundum speciem, in qua omnes concipiuntur per modum vnus: ergo, vt sic, nequit habere aliam relationem sibi oppositam, & adæquatam: cum ab illis vna sola species abstrahi possit, in qua conueniunt. Quare relatio similitudinis in vtroque albo est vna species: & idem nõ habet terminum communem immediate, ad quem referatur, & qui sit illius correlatiuum, sed mediate tantum in aliquo inferiori. Et hoc est, quod vult Doctor in primo vt supra: & etiam Aristot. & Augustinus.

Tertia pars constat: nam relationes diuisiua in vtroque extremo sunt diuersæ species: vt paternitas, & filiatio: ergo nequit ab illis abstrahi vna ratio specifica continens vtriusque, ratio nem: sed necessario debet esse duæ species oppositæ sibi adæquate, quarum quælibet correlatiuum immediatum, & adæquatum constituit.

Dicendum secundò. Supremum genus relationis habet immediatū, & adæquatum terminū, ad quem per se, & immediate, in ratione termini, refertur. Hæc est Doct. sup. q. 1. quæ probat ibi, & ad alias rationes dicitur. Vide illum.

Dicendum tertio. Relatiuum generalissimū tam in actu signato, quā in actu exercito, quoad conceptus obiectiuos, refertur ad suum terminū in communi. Hæc debet esse cõmunis inter illos, qui terminum in cõmuni huic generalissimo immediatum assignant: & quoad primam partē patet ex dictis: nam essentialē est huic generalissimo habere terminum: ergo ab omnibus terminis realibus, prout in ratione vnus conueniunt, & ab existentis realibus abstrahunt, potest formari vnus conceptus essentialis, qui terminet essentia huius relationis: sed hoc est referri, & terminare in actu signato: igitur, &c.

Secunda pars probatur: exercitū huius generalissimi est naturalis, & intrinseca ordinatio vnus extremi ad aliud per veram, & actiuam relationem: idque est, quod exprimit nomen hoc, ad aliquid: hoc generalissimū verè & proprie hoc nomine, ad aliquid, designatur: veramque & actiuam relationem præfert: ergo per illam formaliter actualiter ad terminum in actu refertur: sed talis terminus vnus in actu non datur existens.

Secundò notandum aliud esse loqui de termino, vt præcise habet rationem terminandi: aliud, prout etiam habet rationem correlatiui: nam iuxta hanc duplicem considerationem aperienda est veritas.

2. Conclus.

3. Conclus.